



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Quid sit affectus, & quomodo ille in cordibus nostris enascatur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

modi homines ab oratione discedunt ita frigi-
di & aridi, atque ad illam sunt ingressi, quia il-
lorum meditationes, quas convenientius quis *Non est
numism
tribuendus
intellexit*
appellaverit speculationes, lumina sunt sine ca-
lore, & omnes illorum considerationes simi-
les sunt soli hyberno, qui illuminat, nec tamen
calefacit; ex quo etiam fit, quod terra cordis
eorum nullum producat fructum bonum, at-
que ex omnibus exercitiis illis spiritualibus,
quæ faciunt, nihil reportent aliud, quam cu-
riositatem, superbiam ac vanitatem.

Non est nobis inquirendum, inquit Gerson, in quo consistat virtus præcisè ut sciamus, ve-
rūm ut amemus illam & in praxin redigamus,
atque ita re ipsa virtuosi evadamus. Considerare debemus, ut cognoscamus, at verò co-
gnoscere non debemus, nisi ut amemus, ad
exemplum Regii Vatis, qui de se ipso ait: *Con-*
*galuit cor meum intra me, & in meditatione Ps 38. v.
mea exardescet ignis.* 4.

Quamprimum igitur adverterint Fratres
nostri, voluntatem suam incipere inflammari,
sive per interiorem Dei attractum absque eo
quod multum adhuc sint in consideratione
progressi, sive beneficio considerationum,
quas ei exhibuerit intellectus, cessabunt à
discursu, ut illi tempus concedant sanctos af-
fectus, quos conceperit, producendi. Cujus
rei ut certam eis methodum præscribamus, di-
cemus primo:

*Quid sit affectus, & quomodo ille in cor-
dibus nostris enascatur.*

Affectus, de quo hic loquimur, est certa
quædam commotio cordis, sive sanctus
F. qui-

*Inveni,
quem dili-
git anima
mea, tenue
eum, nec
dimittam.*

Cant. 3.

v. 4.

Quomodo
produc-
tur affe-
tus.

quidam ardor in anima nostra natus aut ex solo attractu ac secreta impressione gratiae Spiritus sancti , aut ex præmissis considerationibus intellectus. Duobus enim ille modis nascitur: Primò videlicet per infusionem extraordinarii cuiusdam luminis, unico momento intellectum hominis adeo illustrantis , ut rem clarius multò perspiciat , quam si duas aut tres horas continuas in meditatione insumpsisset , non secus atque ubi radius quidam solaris ingreditur per fenestram in aliquod conclave , multo amplius ipsum illuminat , quam si plures illic accendi forent candelæ. Hoc vero lumen, cognitio atque interior claritas procedit immediate à Deo, qui simul voluntati imprimit fortem quidem , sed tamen suavem aliquam inclinationem ad se veritati cognitæ conformandam.

Multi hocce genus inreiors commotionis experiuntur etiam priusquam sciant quid sit oratio , prout accedit non raro quibusdam Adolescentibus sæcularibus , quibus Deus inspirat mundo valedicendi propositum , illis quandoque in suis communionibus quasi in ictu oculi omnes miserias atque omnia commonstrando pericula , quibus expositi sunt , quādiu in mundo remanent.

Alter modus , quo producuntur affectus , est communis & ordinarius , & ex parte dependens ab humana industria , qua anima posteaquam certæ materiæ considerandæ intendit , atque aliquam veritatem percepit , illi insistit , illam amat , desiderat , amplectit pro-

proponit, & media ad hoc propositum convenientia intendit. Id quod modo fit adeo naturali ac suavi, ut absque ulla ad ea, quæ hic præscribimus, præcepta, aut ad ullam industriam reflexione quamprimum anima percipit rem aliquam amabilem, statim ex seipsa in illam feratur amandam, aut si odio dignam percepit, illam odiſſe & aversari incipiat. Adeoque applicatio intellectus nostri ad meditandum est quidem illa plena industriâ, & nostris est conjuncta laboribus; Verum ubi quis propositam veritatem semel meditando coguoverit, sine ullo deinde labore aut industria affectu erga illam animus movetur, sicut multâ nequaquam estopus industriâ, ut ad bellam quandam imaginem aut aliam quamvis rem, quam vidimus, desiderandam, aut rem deformem nostris objectam oculis aversandam impellamus: Sufficit enim hujusmodi res videare, ut priores quidem amemus, alias vero fugianus & aversemur.

De differentiis affectionum.

Inter affectus ea intercedit differentia, quod ali qui ferantur in res bonas, sanctas, ac virtuosas, ut eas desiderent; ali vero feruntur in res malas ac vitiosas, ut eas detestentur. Aliqui eorum pleni sunt ardore, alii mirâ animum suavitate afficiunt. Aliqui sunt prompti & acuti, alii tardiores sunt ac suáiores, sed tamen efficaces. Aliqui denique sunt pure spirituales, quos non

F 2 nisi